

20 21 Item cum Irregularitas privet licita retentione Beneficii, quod exigit usum Ordinis personalem, sublata hac, redeunt primaeva jura omnino; Suar. *disp.* 40. *sect.* 2. *num.* 19

§. V. Advertat autem Sacerdos, ne ullo modo in iis facultatis suae terminos excedat.

22 Facultates, et commissiones provenientes a supremo Tribunali adamussim adimplendae sunt, nec interpretandae, nec ampliandae, neque restringendae, sed exequendae sub poenis gravissimis, ut diximus *Tit.* 18. §. 7. loquendo de hoc eodem Sacramento.

DE SANCTISSIMO EUCHARISTIAE SACRAMENTO.

TITULUS VICESIMUS TERTIUS.

SUMMARIUM.

- 1 Eucharistiae est Sacramentum vivorum, imo ipsa Vita.
- 2 Eucharistiae definitio.
- 3 Eucharistia cum eadem reverentia, qua Christus, tractari debet.
- 4 Fideles antiquitus suscipiebant Eucharistiam erecti.
- 5 Eucharistiae sumptio fiebat antiquitus magno cum gaudio.
- 6 Festivi dies distinguebantur sumptione Eucharistiae.
- 7 Dies Eucharistiae variis nominibus nuncupati.
- 8 Administratio Eucharistiae, competit Sacerdoti.
- 9 Potestas vel ordinaria, vel delegata requiritur ad ministrandum.
- 10 Pastoris munus est ministrare Sacram Eucharistiam.
- 11 Ministrare Eucharistiam sine facultate est peccatum.
- 12 Parocho proprie convenit ministratio Eucharistiae.
- 13 Privilegia pro Regularibus multa.
- 14 In Missa quilibet Sacerdos potest communicare alios.
- 15 Parochus quando tenetur ministrare Eucharistiam.
- 16 Reverentia, et cultus qualis debeatur Eucharistiae?
- 17 Custodia qualis debeatur Eucharistiae?
- 18 Rubricas legere pro optima administratione optimum.
- 19 Parochus curare debet ut debitus honor praebeatur Eucharistiae.
- 20 Populus Parocho commissus qualis sit?
- 21 Parochus tenetur credere dicenti se habere licentiam.
- 22 Intellegitur hoc de Communione Paschali.
- 23 Hodie licet accedere ad quamcumque Ecclesiam pro Eucharistia.
- 24 Frequentia suscipiendi Eucharistiam qualis esse possit?
- 25 Judicium Confessarii requirendum est pro Communionem quotidiana.
- 26 Qui sumeret ob vanam gloriam, peccaret.
- 27 An Religiosi teneantur saepe communicare?
- 28 Quotidie antiquitus fideles communicabant.
- 29 Solemnitates majores coli debent majori religione.
- 30 Praeparatio interna, et externa pro Sacramento.
- 31 Externa erat ut manus lavarent.
- 32 Interna erat humilis Confessio.
- 33 Corporis habitus debet esse compositus.
- 34 Mos Foeminarum in Lusitania dum communicant.
- 35 Foeminae accedere debent valatae ad Eucharistiam.
- 36 Viri cum comis fictis, et pulverulentis abdicandi sunt.

sissent, vacabantur ab illis dies laetitiae, dies remissionis, dies immunitatis, dies solemnes, dies festivi, prout diffusissime narrat Albasp. *de vet. Rit. Eccl. l. 1. cap. 12.*

§. II. Parochus igitur summum studium in eo ponat, ut cum ipse venerabile hoc Sacramentum, qua decet reverentia, debitoque cultu tractet, custodiat, et administret; tum etiam populus sibi commissus religiose colat, sancte, frequenterque suscipiat, praesertim in majoribus anni solemnitatibus.

8 9 10 11 12 13 Sacerdotibus quibuscumque ex Christi institutione competit ordinaria potestas administrandi Sacram Eucharistiam Christiano Populo, ut desumitur ex *cap. pervenit. de consecr. dist. 2. Conc. Trid. sess. 13. c. 8.* Nihilominus id licite non facere, nisi habeant ordinariam, vel delegatum jurisdictionem ad hoc Sacramentum, docet Barbosa *d. p. 2. c. 20. num. 2.* Eo quia dispensatio Sacramentorum, et praesertim hujus, quo fideles spiritualiter pascuntur, est proprium munus Pastoris, quod proinde nemo alius, sine illius commissione usurpare debet, Vasq. *disp. 219. caq. 2.* et alii apud Barbos. *d. l. Quare sine jurisdictione, vel sine Parochi facultate hoc Sacramentum ministrare, lethale peccatum esse docet Polac in suis Aphorism. p. 2. n. 14. et Barb. d. l. n. 1. nisi adsit probabilis praesumptio facultatis Parochi.* Ideo Textus noster injungit Parocho, non vero Sacerdoti simplici, tractationem, custodiam, et administrationem hujus Sacramenti, quia in solis Ecclesiis Parochialibus administrari, et servari deberet, nisi obstarent privilegia Regularibus concessa, et allegata per Barbos. *d. l. n. 8. 9. 10.* quia tenentur fideles, ut praescriptum annuae Communionis adimpleant, Eucharistiam suscipere de manu proprii Pastoris, aut alterius, qui vices ejus gerat, Suar. *ad 3. p. q. 80. art. 11, disp. 70. sect. 2.* excepto necessitatis casu.

14 In Missa tamen quilibet Sacerdos communicare potest alios, excepto die Paschatis, Gavant. *T. 1. p. 2. tit. 10 rub. 6.*

15 Parochus igitur suis subditis Eucharistiam ministrare tenetur, quando illi ex obligatione communicare debent, et quoties eam rationabiliter petunt, Navar. *in cap. placuit, de Poenit. disp. 6. num. 152, Trullenck in Prax. Resol. Sacr. l. 3. c. 7. dub. 1. n. 15.*

16 Reverentia, cultus, custodia, et administratio praecipitur Parocho in hac Rubrica. Reverentia debet esse qualis

tanto Sacramento decens sit, et tanto ministerio quod quandoque Angeli tremantes impleverunt, ut notat Nicolaus Laghi de Lugano in libro *de Mirabilibus Sanctissimae Eucharistiae*, et Fagund. *de Praecept. Eccl. Part. 3. l. 3. cap. 7. num. 1.* Contremiscens igitur accedat tam Minister, quam suscipiens, quia Deum habent appropinquantem sibi.

Cultus patriae Eucharistiae debetur, quae servitutem denotat, per quam Theologi adorationem soli Deo debitam intelligunt, Macri *Hierol. v. Dulia.* Insuper significat culturam, et ornatum: et hic convenit quoque magnopere Sacramento Eucharistiae; ad cujus custodiam, et administrationem cuncta maxime oportet, ut sint culta, et ornata, necnon munda, et decentia, c. *Relinqui de Custod. Euch. t. 44. c. 2. et ibi gloss.*

17 Ulterius custodia diligens, et decens Eucharistiae incumbit Parocho, a quo invigilandum est, ut omnia, et singula munda sint, nec aperitio Tabernaculi cuilibet liceat, et lampas die noctuque ardeat, atque alia, quae suo loco subinde dicemus §. 5. et 6. *hujus tituli.*

De Clave Tabernaculi hoc unum dicam: debere penes Parochum, seu Capellanum detineri, nec prostare in Sacristia, seu armario semper, et cuilibet aperto, et multo minus in sera ejusdem Tabernaculi. Mich. Thom. *de Eccl. Visitan. l. 1. tract. 1. c. 21 22.*

18 Denique advertere debet Parochus, ut rite, et recte ministret Eucharistiam, quod optime hoc illi eveniet, si quaecumque praescripta sunt in Rubricis, diligenter adimplebit, ideo saepe has perlegere utilissimum erit, ut tute agat.

19 Tum etiam studium in hoc debet ponere Parochus, ut Populus sibi commissus religiose colat Eucharistiam, scilicet cum debita reverentia, et veneratione illi obsequium praestet, et demonstret.

20 21 22 23 Hic populus sibi commissus ille est, qui suae Parochiae subjacet. Si vero ad Parochum accedere quis alterius Parochiae, et diceret se habere licentiam a proprio Parocho, ut illi ministret Sacramentum, Parochus tenetur illi credere, nisi haberet signa probabilia mendacii, Barbos. *d. p. 2. cap. 19. num. 30. 31.* Quod in telligi hodie debet de Communionem Paschali, quia infra annum ob solemnitates, et indulgentias licitum est cuique accedere ad non suum Parochum ad recipiendam Sacram Synaxim, ut sic lucretur Indulgentias, et Beneficia spiritualia illi concedenda, qui in tali Ecclesia Sacram Communionem reciperet.

Regulares item per Barbos. *d. p. 2. cap. 20. n. 7.* (qui affert *Clement. 1. de privil.* et alios plures DD.) excommunicationis sententiam incurrunt ipso facto per Sedem Apostolicam dumtaxat absolvendam, si Sacram Communionem, sine Paro-
COM.—P. 31.

chi speciali licentia, ipsius subditis ministrare praesumpserint. Sed de Communione Paschali tantum debet hoc intelligi; nam circa alias Communiones sublata est haec excommunicatio per privilegia a Summis Pontificibus ipsis Regularibus concessa.

24 25 26 Duo insuper remanent explicanda in hoc paragrafo; nempe frequentia suscipiendi hoc Sacramentum, et honor majorum solemnitatum infra annum. Frequentia haec debet intelligi sano modo, nempe non quotidie, quia quotidiana communio de raro conceditur, et iis tantum, qui probatae conscientiae sunt (quod non habet locum in Sacerdotibus, cum quotidie Deo Sacrificium offerant, et in eo communicent) et de concilio prudentis Confessarii. Ita docet S. Tom. 3 p. qu. 80. art. 10. in corpore, Henriq. l. 8. Euch. cap. 53 et alii a Fagundez allati, P. 3. l. 3. c. 7. num. 1. Certe favet huic opinioni S. August. ser. 28. de verbo Domini paulo ante medium. t. 10. his verbis: *Accipe quotidie, ut quotidie tibi prosit: Panis enim quotidianus est. Sic tamen vive, ut quotidie merearis accipere.* Tutior doctrina Fagundez d. l. num. 2. amplexanda est, qui dicit; cum in multis hominibus plurima dentur impedimenta devotionis necessariae, et dispositionis ad hoc Sacramentum suscipiendum, non esse ita facile concedendam hanc facultatem Laico. Id tamen facere, absque iudicio Confessarii, supposita legitima, ac necessaria dispositione, nullum erit peccatum, neque veniale, Fagund. *ibid.* Sed si aliquis Eucharistiam sumeret ob vanam gloriam, saltem peccaret venialiter, Fagund. d. p. 1. l. 1. cap. 4. num. 30. alii vero quod peccare mortaliter, affirmant Sanch. t. 1. decal. l. 1. c. 3. num. 1.

27 An vero aliqui Fideles, et Religiosi teneantur saepius quam semel in anno communicare ex Ecclesiae praecepto, clare docet Fagund. d. p. 3. l. 1. c. 6. num. 8. Et de fidelibus saecularibus concludit, nullum eorum teneri ex praecepto Ecclesiae, amplius quam semel in anno tempore Paschali communicare. De Religiosis vero videndae erunt constitutiones cujusque Ordinis, et juxta eas judicandum. Haec dicta sint circa illud verbum *frequenter*, appositum in textu praesentis paragrafi.

28 In primitiva Ecclesia certe Christiani quotidie communicabant, ut Act. 2. videmus; de quo Ritu S. Cypr. Ser. in Orat. Dom. ait: *Eucharistiam quotidie ad cibum salutis accipimus*; qui usus postea ad quatuor vices in hebdomada redactus fuit, Casal. d. c. 18. p. 2. Sed novissime habetur decretum S. C. Concil. 12. Febr. 1679. approbatum ab Innoc XI. in quo multa circa Communionem quotidianam ordinantur a Parochis, et Confessariis advertenda. Quod decretum integrum habetur in Monacell. T. 2. tit. 13. post. 99. pag. m. 34. in edit. Venet. 1707.

29 Remanet, ut de solemnitatibus anni dicamus, et circa hoc, de concilio tantummodo erit obligandus populus, ut in iis communicet, dempto tempore Paschatis, in quo de praecepto quisque fidelis communicare debet. Solemnitates majores, prout Natalis D. N. J. C. Circuncisio, Epiphania, Pentecostes, et quae aliae sunt, coli debent a Christianis solemniori actu Religionis quam caeterae solemnitates, Calá de Feriis, l. 7. Ideoque ad maximum Sacramentorum accedere non erit nisi actus perfecti Fidelis.

§. III. Ideo Populum saepius admonebit, qua praeparatione, et quanta animi religione, ac pietate, et humili etiam corporis habitu, ad tam divinum Sacramentum debet accedere: ut, praemissa Sacramentali Confessione, omnes saltem a media nocte jejuni et utroque genu flexo Sacramentum humiliter adorent, ac reverenter suscipiant, viri quantum fieri potest a mulieribus separati.

30 31 32 Praeparatio externa antiquorum Fidelium in primaeva Ecclesia ad Sacram Communionem erat, ut manus lavarent; manibus enim suis Sacramentum excipiebant, Dorotheus doctrin. 9. Casal. d. c. 14. Interna vero dispositio erat humilis confessio: munditia ab omni lethali crimine, et praesertim a luxuria; notitia Sacramenti, et Fides: Hodie lotio manuum in usu non est, sive non est de ritu, quamvis omnis munditia etiam externa perquam decentissima sit. Interna tamen est magis necessaria; Fides, Religio, Pietas, Humilitas, et aliae virtutes, ut eminenter in anima elucescant oportet. *Sicut enim cibus corporalis* (verba sunt S. Chrisostomi, hom. 27. 1. ad Corinth.) *cum corpus invenit malis humoribus occupatum, amplius laedit, et nocet, nec ullum praestat auxilium; sic spirituum hic cibus, si aliquem invenit malitia inquinatum, magis eum perdit, non sua natura, sed accipientis vitio: tales enim sunt socii Judae proditoris, in quem post bucellam intravit Satanas.*

33 34 Corporis habitus ulterius compositus esse debet, non sucatus, non indecenter ornatus, non denique vanitatem redolens: quamvis enim de hujusmodi dispositione, et munditia corporali nihil sit de jure Divino statutum, sed totum id Ecclesiae dispositioni relictum sit, decet tamen, ut eo vestitu, et modestia accedant communicandi, quae honestatem praeferat, et ideo Fagundez de Part. 3. l. 3. c. 6. num. 1. et 2. affirmat, quod in hac parte servanda sit Ecclesiastica consuetudo, si qua ali-

cubi detur; et reprobat morem Foeminarum in Lusitania, quae communicare solent, praemittendo prius ad Ecclesiam, in qua sunt communicandae, mundissima mantilia, et Urceolos deauratos, plenos aqua ad sumendam ablutionem: quibus potius incumbendum esset in curanda munditia cordis.

35 36 Pejor usus esset si Foeminae denudato collo, et pectore, accederent, minio linitae, et cincinnis, pulvereque cyprio conspersae. Insuper Viri fictas comas nimis pulverulentas habentes, male agunt, et irreverenter, si accedunt ad Sacram Communionem. Ensis quoque ab illis deponendus est, multo magis quaecumque arma strepitosa abdicanda sunt: quod monuit S. Carolus *Conc. Prov. 3. Act. p. 1. et p. 4.* ubi circa Mulieres haec dicit: *Mulieres non sumptuosas, non caudatis vestibus, non crinibus inaniter intortis, non fuco, aut pigmento vultu illito, non pectore nudo, aut tenui velo obtecto, sed ita vestito, ut ne praeter faciem, quidquam nudum cernatur.* Velum autem Mulierum non subtile esse debet, quemadmodum Virgines adhibebant Tertulliani aetate, quod ipse reprehendit, *l. 6. de velandis Virginibus, c. 2.* Hoc pacto: *Quia illex est libidinis, et acuit curiositate propius videndi subcandicantem sub eo cutem.*

37 Alia praeparatio est Sacramentalis confessio, quae ex communi DD. sententia praecedere debet Communionem. Solum autem hoc Sacramentum necessario, et ex praecepto Divino requirit hanc dispositionem Confessionis: nam ad alia Sacramenta satis est contritio, nisi etiam ratione illorum Communio sit accipienda, Fagundez *P. 3. l. 3. c. 8. num. 5.* Hoc tamen intelligi debet ubi est conscientia mortalis culpa, Trid. *sess. 13. cap. 7.* quia peccatum mortale est, imo sacrilegium, communicare cum conscientia peccati mortalis. Sufficit tamen communicanti, ut moraliter certus sit se esse in gratia, Coninck *d. q. 80. art. 4. d. 1. num. 5. 7. 8. et 11.*

38 Jejunium insuper est alia praeparatio, quae dispositio nova non est in Ecclesia Dei, adeo quod celebrantibus etiam antiquis temporibus Missam vespertinam, fuit per varia Concilia decretum, ut essent jejuni, S. Cypriam. *Ep. 63.* S. Ambros. *Ser. 8. in Ps. 118.* Casal. *d. c. 14.* Placuit enim Spiritui Sancto, ut in honorem tanti Sacramenti, in os Christiani intraret prius Dominicum corpus, quam exteri cibi: et mos iste per universum Orbem servatur.

39 Hoc jejunium tale debet esse, ut post mediam noctem nihil omnino per modum cibi, pel potus ab homine sumptum sit, ex universali consuetudine ab Apostolis introducta, in reverentiam illius Sacramenti, Coninck *dict. art. 8. n. 46.* qui notat, fuisse olim quibusdam locis licitum feria quinta majoris hebdomadae ad imitationem Christi communicare post sump-

tum cibum: Sed haec consuetudo nunquam fuit universalis et jam omnino abrogata est.

40 Varii tamen sunt casus, in quibus licet non jejuno communicare, et omnes enumerantur a Coninck *loc. cit. num. 50. et seqq. usque ad ultimum.*

41 Adoratio Sacramenti Eucharistiae debet fieri utroque genu flexo: nam, ut ex Concil. Trid. habemus *sess. 13. cap. 5.* illi convenit latriae cultus, qui unico, et vero Deo debetur: illum enim eundem Deum praesentem adesse credimus in eo Sacramento, de quo Pater aeternus ait: *Et adorent eum omnes Angeli Dei.* Ps. 96.

Quando unicum genu, et quando duo genua sint flectenda, docet Gavant. *p. 1. tit. 17. §. Dubitant.* Finis genuflexionis duplex est: ad orandum, et ad adorandum, Gavant. *dict. loc. §. Usus.*

42 Susceptio Eucharistiae cum reverentia fieri debet: isti actus reverentiales continent etiam corporis humiliationem: monet enim S. Cyprianus in expositione Orationis Dominicae: *Placendum Divinis oculis etiam habitu corporis.*

43 44 Denique praesens Textus separationem praecipit Mulierum ab hominibus, quae adeo utilis, et necessaria est, ut omnes fere Ecclesiasticarum rerum Scriptores de ea tractare non cessaverint, S. Carolus Borromaeus praecipue, *Actor. Eccles. Mediol. quocumque in loco de Foeminis loquatur, quae seu ad Ecclesias, seu ad opera Sacra concurrant, semper praecipit illarum separationem a Masculis.* In administratione Eucharistiae modum docet faciendi hanc separationem parando Mensas diversas ad Altaria diversa, seu assignando diem, vel horam unam pro Masculis, aliam vero pro Foeminis; inter quas divisiones faciliter amplexari poterit illa de diversis Altaribus, in diversis Ecclesiae partibus, ita ut Viri, et Mulieres procedentes ad Communionem, aut redeuntes, sibi invicem non occurrant: *Act. p. 4. Instruct. de Sacrament. Commun. Castald. lib. 2. sect. 14. cap. 7. Catechism. Romae. p. 2. cap. 4. num. 1. et 6. atque alii apud Corsett. Tr. 2. p. 2. c. 4. sect. 1. n. 3.*

§. IV. Moneantur praeterea communicantes, ut sumpto Sacramento non statim ab Ecclesia discedant, aut colloquantur, nec statim vagis oculis circumspiciant, aut expuant, neque de libro statim Orationes recitent, ne Sacramenti species de ore decident; sed, qua par est devotione, aliquantisper in Oratione permaneant, gratias agentes Deo de tam singulari beneficio, atque etiam de Sanctissima Pas-

sione Dominica; in cujus memoriam hoc mysterium celebratur et sumitur.

45 46 Totus iste paragraphus est consultivus, non praeceptivus. Discessus ab Ecclesia immediate post sumptam Eucharistiam actus bonae Religionis non est, quia videtur quod communicatus abhorreat a loco Sacro, et cum vivis Sacramenti speciebus, ad saecularia negotia transire cupiat. Similiter collocutio non necessaria, et oculorum vagatio demonstrat distractionem maximam mentis, quae illo tempore Deo suo uniri deberet, ut ei gratias ageret de tam singulari beneficio. Similia, sed magis instructive, et minutatim, praecepit S. Carolus, loco in antecedenti §. enunciato. Haec sunt verba illius: *Facta ab aliquo Communionem, caput ille paululum inclinet, non celeriter; sed cum Sacerdos manum subtraxerit a communicati capite. Hostiam acceptam reverenter deglutiat, nec quantum poterit, ad palatum linguam admoveat. Postea manebit ibidem unius Pater, et Ave spatium: deinde se purificatum eat ad locum ad hoc destinatum, nisi ibidem ubi excepta est Communio, purificationem ministranda Parochus mandaverit. Accepta purificatione, non nisi ad senti-horam expuat: si tamen ob pituitae abundantiam, aut alia de curia expuendum illi sit, in murum, aut in loco per quem non obambulent, aut in sudarium mundum id faciat, quod postea exuret, aut saltem lavabit, in ignem missurus illam lotionem. Post acceptam Communionem non nisi semihora comedat. Accepta purificatione, in aliquem Ecclesiae locum, versus Altare majus abeat, ubi aliis non impedimento sit, qui ad Communionem accedant ibique genuflexus gratias agat: nec ab Ecclesia qui communicaverunt, nisi finita Missa, in qua Communio facta est, discedant. Si vero extra Missam, non nisi actis Deo gratias, acceptaque a Secerdote benedictione, et facta, quae recitari solet ad Communionis finem, Oratione abeant.*

47 48 Haec S. Caroli piissima instructio ad explicationem sufficiat nostrae Rubricae, cui tantum addam nonnulla de gratiarum actione, quae tunc temporis facienda est magis corde, quam ore. Orationes enim, quae in liberulis leguntur, quamvis piissimae, et sanctissimae esse queant, attamen iis inseriunt, qui aliter orare nesciunt, nec mente ad Deum elevare. Passio Domini N. J. C. tunc contemplanda est juxta illud: *Haec quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis, Can. Miss.*

§. V. Curare porro debet, ut perpetuo aliquod particu-

lae consecratae eo numero, qui usui Infirmorum, et aliorum Fidelium communioni satis esse possit, conserventur in pyxide ex solida decentique materia, eaque munda, et suo operculo bene clausa, albo velo cooperta, et quantum res feret, ornato, in tabernaculo clave obserato.

49 50 51 52 53 54 Cum, ut diximus, teneatur Parochus ministrare Sacramentum Eucharistiae subdito suo rationabiliter petenti, ideo debet quocumque tempore promptum, et paratum habere modum satisfaciendi huic obligationi: idcirco Particulas consecratas perpetuo habere studebit, ut praesertim Infirmorum necessitati succurrat, quando Sanctissimum Viaticum est illis deferendum. Numerus Particularum consecratarum debet esse rationabilis, et juxta numerum Infirmorum suae Parochiae. Quod si in aliquo anni tempore, ut solet quandoque evenire, infirmorum suorum augetur numerus tunc ipse quoque deberet particularum copiam augere. Memini enim ego in quodam morbo aestino tempore olim, unico tantum die, et in unica Parochia usque ad nonaginta infirmos delatum fuisse Sanctissimum Viaticum; quod facile fieri potuit a diligenti Parocho, quia cum illi innotesceret tanta Infirmorum copia, Particulas etiam in majore quam fieri solebat numero consecravit, quae consecratio ad hunc tantummodo finem amplianda est, eo quia pro non infirmis communicandis (cum isti de mane hoc facere debeant) potest fieri amplissima consecratio in Missa ejusdem Parochi, vel alterius cujuslibet Sacerdotis: Post Meridiem vero nemini licet consecrare, seclusa necessitate Viatici, quia in hoc casu potest Sacerdos notabiliter post Meridiem celebrare, ut notat Pasqualig. *de Sac. nov. leg. T. 1. quaest. 415. numer. 1.* Imo si in actu celebrationis Sacerdos esset monitus de necessitate, deberet pro Viatico partem Hostiae servare, ita docente S. Thom. *in 4. dist. 12. quaest. 3. art. 2. qu. 2 ad 1.* Pasqualig. *d. quaest. 380. num. 1. et seqq.* ubi: *an pro ministrando Viatico possit iterum Missa celebrari?* quaestio resolvitur.

Istae Particulae debent conservari in Pyxide ex materia solida, et decenti. In Ecclesiis Parochialibus duae esse debent Pyxides, in quarum una conservetur Eucharistia, in altera deferatur ad Infirmos, Fusc. *de Visit. lib. 1. cap. 5. n. 3.*

55 Pyxis communiter inter Catholicos intelligitur Vas illud, in quo Sacramentum Eucharistiae reconditur, cujus materia non est determinata, sed sequi debet conditionem Calicis, et proinde confici solet ex illa materia ex qua ille conficitur, et quidem ob reverentiam debitam tanto Sacramento

- 37 Praeparatio vera est confessio.
- 38 Jejunium necessarium ad Communionem.
- 39 Jejunium naturale, non vero Ecclesiasticum.
- 40 Casus varii in quibus licet non jejuno communicare.
- 41 Eucharistiae adoratio debet fieri utroque genu.
- 42 Susceptio Eucharistiae cum humilitate facienda.
- 43 Mulieres sejunctim ab hominibus communicare debent.
- 44 Modus faciendi hanc separationem.
- 45 Discedere statim post sumptam Eucharistiam, non est actus bonae Religionis.
- 46 Modus effugiendi distractiones mentis post Communionem.
- 47 Gratiarum actio facienda magis corde quam ore.
- 48 Passio Christi tunc contemplanda.
- 49 Parochus semper habere debet Particulas consecratas.
- 50 Numerus particularum consecratarum tenendus a Parocho.
- 51 Consecrare post prandium nemini licet.
- 52 Neque post meridiem.
- 53 In necessitate Viatici potest consecrari hostia post meridiem.
- 54 In casu necessitatis potest servari pars hostiae Sacrificii.
- 55 Pyxis quid sit? Et cujus materiae esse debeat?
- 56 An Pyxis consecranda, sive unguenda sit?
- 57 Pyxides non vitreae, non lignae, non cristallinae.
- 58 Pyxididis forma.
- 59 Velum ad cooperiendam Pyxidem.
- 60 Tabernaculum, in quo servatur Pyxis.
- 61 Duae Pyxides necessariae in Ecclesia Parochiali.
- 62 Clavis Tabernaculi vel argentea, vel deargentata.
- 63 Pyxis parva pro Communione infirmorum.
- 64 Conopaeum Tabernaculi quid? Et cujus materiae?
- 65 Albus color convenit Sacramento.
- 66 Tabernaculum ab omni alia re vacuum esse debet.
- 67 Altare Tabernaculi convenit ut sit majus.
- 68 Lampades continuo ardere debent ante Eucharistiam.
- 69 Lampadarum usus antiquissimus.
- 70 Lampas una sufficit ubi sit Eucharistia.
- 71 Commendabilis est usus plurium lampadarum.
- 72 Poena non tenentis lampadem praelucentem ante Eucharistiam.
- 73 Oleum olivae in lampadibus infundendum.
- 74 Oleum cujus sumptibus provideri debeat?
- 75 Constitutio Eminentiss. Card. Ruffi de Oleo lampadarum.
- 76 Cuncta quae Ecclesiae inserviunt, munda esse debent.
- 77 Renovatio Particularum consecratarum frequenter facienda.
- 78 Corrupta materia panis consecrati, cessat esse corpus Christi.
- 79 Octavo quoque die consecrare, optimum consilium.
- 80 Hostiae consecrandae debent esse recentes sed non recentissimae.
- 81 Hostiae quas figuras continere possint?
- 82 Veteres Particulae consumendae.
- 83 Regula tenenda in consumendis particulis antiquis.
- 84 Omnes Fideles habent jus ad Sacram Communionem.
- 85 Quinam arceri debeant a Communionem, et quando?
- 86 Excommunicati Haeretici et alii interdicti a S. Communionem.
- 87 Manifesti infames.
- 88 Peccatores publici.
- 89 Quomodo Parochus debeat quaerere peccatores publicos?
- 90 In aliquo casu publici Peccatores possunt communicare.
- 91 Quomodo repellendus sit publicus peccator a Sacra Communionem?
- 92 In loco, in quo esset occultus, potest communicari.
- 93 Deneganda non est Communionem illi qui publice petit.
- 94 Peccatores occulti quinam sint?
- 95 Illis publice denegari non potest S. Communionem.
- 96 Judas proditor Communionem sumpsit.
- 97 Occultus peccator licet notus Sacerdoti debet communicare.
- 98 Opinio contraria Card. de Lauraea.

- 99 Amentes, et Phraenetici communicandi non sunt.
- 100 Si petierint cum usu rationis } communicari possunt.
- 101 Si habent lucida intervalla }
- 102 Energumenis non est deneganda Eucharistia.
- 103 Pueri non sunt communicandi.
- 104 Antequam illis administretur, examinandi sunt.

1 Expedita tractatione de duobus Sacramentis mortuorum, nempe Baptismo, et Poenitentia, ad Sacramentum praecipuum vivorum, seu ad ipsam vitam accedere nobis dat Ritualis nostri Ordo, qui duobus prioribus jam plene expositis, ad Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, atque ad ejus, de more, et ritu Catholico, administrationem se confert.

§. I. Omnibus quidem Ecclesiae Catholicae Sacramentis religiose, sancteque tractandis, magna, ac diligens cura adhibenda est; sed praecipue in administando, ac suscipiendo Sanctissimae Eucharistiae Sacramento, quo nihil dignius, nihil sanctius, et admirabilius habet Ecclesia Dei; cum in eo contineatur praecipuum, et maximum Dei donum, et ipsemet omnis gratiae, et sanctitatis fons, Auctorque Christus Dominus.

2 3 4 5 6 7 Cum Itaque Eucharistia sit Sacramentum Corporis, et Sanguinis Christi sub speciebus Panis, et Vini, ad spiritualem Fidelium nutritionem divinitus institutum, Polman. *Brev. Theol. p. 3. de Euch.* ideo, eadem reverentia, et veneratione tractanda est, qua ipsemet Christus Redemptor, si inter nos mortales degeret, ut olim triginta trium annorum spatio conversatus est materia, et religiosius tractanda est, et suscipienda. Itaque apud antiquos Christifideles magno gaudio fiebat, et maxima veneratione sumptio Eucharistiae. Cum ea reficiendi essent, non genibus nixi, non humi jacentes, sed erecti, in Caelum intuentes, preces concipiebant. Antequam autem Aris admoverentur, ut hoc tam divinum, et immortale manus haurirent, vidisses mutuos inter se complexus, quo tanta sibi invicem gaudiorum oblectamenta osculo impertirent: cum ex communi hominum vita, et consuetudine contingat, mortales ipsos mutuo se se complexu, quas tacitis animis concipiunt, occurrentibus Amicis communicare. Sacri, et festivi dies, non alia re ab aliis distinguebantur, quam his charissimis et gaudii, et laetitiae, quibus Christiani! delibuti gestiebant, argumentis. Hi dies, quibus Eucharistiam sump-